



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Cap. IX. Concilium Tolosanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

terius Diœceseos conjungent nisi habeant litteras testimoniales publicationum factarum vel omisarum juxta Decretum Concilii Tridentini. Uno verbo pauca sunt in Decretis Tridentini circa Matrimonium, quorum executionem non jubeat nominatim Synodus Aquensis; sed illud non nisi in relatis locis laudatur.

Eadem Synodus initio *Tit. de Ordine*, indicando fontes, è quibus Statuta sua hausit, Tridentinum commemorat; tùm, laudatis hujus Concilii Decretis, quæ jubent, ut Ordines in Ecclesiâ Principali coram omni Clero conferantur, utque Ordinati alicui Ecclesiæ ad dicantur, & pluribus aliis relatis, nec laudatis; denique, præcipit, ut studiosè observentur aliæ res à Tridentino constitutæ circa administrationem ejusdem Sacramenti. Quo laudationis genere insinuat quæ priùs de Ordine dicta sunt, ex Concilio Tridentino desumpta esse.

Eadem Synodus cupiens, ut Episcopi servent Decreta, in quibus aliquid faciendum eis mandatur quatenus Delegatis Sedis Apostolicæ, universa hæc Decreta colligit sub Titulo: *De his in quibus Episc. ex Sacro Conc. Trident. etiam tamquam ab Apost. Sede Deleg. procedere debet & potest.* Hæc collectio refertur in nova Editione *Actuum Cleri Gall.* Tom. II. p. 298. Refertur cum omiſſa ab hoc Concilio citatione locorum, è quibus hi casus desumpti sunt. Quæ autem loca ibidem recensentur juxta ordinem Sessionum & Capitulorum, quem ordinem Concilium *Aquense* neglexit.

*Tit. de Visitatione*, Synodus præcipit, ut Episcopi Diœceses suas visitent, juxta Decretum Tridentinum circa Visitationes Episcoporum; tùm relatis variis Concilii Statutis circa hanc rem, injungit Episcopis, ut explorent singula, quæ jusſit Tridentinum, monetque eos, ut sedulò observent omnia præscripta Concilii circa jura temporalia, quæ ratione Visitationis exiguntur.

Tria sunt Decreta Tridentina quorum executio decernitur *Tit. de Canonicis*; Primum respicit unionem Beneficiorum, quæ nullum Officium habent. Alterum prohibet ne distributiones aliis dentur, quàm iis, qui Officio Divino assunt, excepto casu valetudinis, aut evidentis Ecclesiæ utilitatis: Tertium jubet ut Pœnitentiarius in unaquaque Ecclesiâ Cathedrali instituat. *Tit. de Capitul.* Synodus præcipit executionem Decretorum Trident. circa alienationes, & circa institutionem Theologorum in Ecclesiis Collegialibus.

*Cap. I. de Beneficiatis* cavet, ut Beneficiati, qui Officio interesse negligunt, & in culpâ perseverant, juxta Decreta Tridentina puniantur; id est, proportionem habitam ad eorum pertinaciam. *Titulus de Residentiâ* confectus est ad procurandam executionem Decretorum Trident. circa Residentiam, ut patet ex §. 1. qui jubet, ut omnia Tridentini Statuta circa Residentiam Episcoporum, Parochorum & aliorum Beneficiorum similium, observentur.

*Titulo de Ecclesiis* jubet observari Statuta Tridentini, circa reparationem Ecclesiarum & Capellarum ruinofarum, & translationem Servitii in alium locum. Agendo de Reliquiis præcipit executionem Decretorum Concilii Tridentini circa Reliquias, Imagines & Miracula.

Circa Excommunicationem, è verbo ad verbum refert *Cap. 3. Sess. XXV.* nec illud laudat.

*Titulus de collatione Beneficiorum* incipit, jubendo, ut singulæ Tridentini Constitutiones circa provisionem Beneficiorum, maxime Curatorum, observentur.

*Tit. de Seminario* præcipit executionem Decreti Tridentini, & *Titulo de Syn. Diœcesanâ* similiter statuit circa Decretum ferens, quòd annuatim Synodus habenda sit, & circa Decretum jubens, ut in singulis Synodis eligantur personæ, quibus Pontifex deleget causas ad se devolutas, ut observentur.

Initio *Tit. de Monast.* præcipit Abbatibus, tam Commendatariis, quam Regularibus, ut se promoveri intra annum curent, posito quòd ætatem habeant; tùm vetat cum Tridentino, ne Facultates de non promovendo ultra annum valeant.

§. 3. *De Monialib.* monentur Episcopi, ut clausuræ

Monialium ita invigilent, ut nullatenus culpari queant, si, quod absit, castitas Monialium violetur; aliàs timere debent comminationes Sacri Concilii Tridentini. §. 8. *Libertati*, cum eodem Concilio decernit, ut nulla puella admittatur, nisi priùs ab Episcopo exploratus sit ejus animus.

## CAPUT IX.

## CONCILIUM TOLOSANUM.

Concilium hoc an. 1590. Sub Cardinali *de Joyeuse* habitum, non minùs è Concilio Tridentino sumptum, quàm Concilia præcedentia, quòd quidem ostensu facile foret, sed cum Synodos præcedentes describerit, quemadmodum Concilium *Aquense* fecit respectivè, satis erit indicare loca ubi Tridentinum expressè laudatur.

*Num. 20. Cap. 1. Partis. 1.* jubet ut Episcopi, mensæ accumbendo, legere sibi faciant. *Cap. 1. Sess. XXV.* quo docentur qualis esse debeat eorum victus. *Num. 10. Cap. 1.* cum eodem Concilio jubet Pœnitentiarium in singulis Ecclesiis Cathedralibus institui.

*Num. 8. Cap. 3.* decernit, ut Parochus jurejurando se astringat ad Residentiam à Tridentino præscriptam. *Num. 11. ibid.* præcipit Episcopo, ut cogat Parochum ad assumendos tot Vicarios, quot exigunt Parœciæ necessitates, juxta Statutum Tridentini.

*Num. 6. Cap. 5.* Catechismum Concilii Tridentini numerat in Libros, quos Parochus plebi legere & exponere debet.

*Num. 1. Cap. 7.* pœnas à Tridentino latas committatur Episcopis si negligant invigilare Monialium domibus, ne ab Officio recedant.

*Num. 1. Cap. 1. part. 2.* Synodus præcipit Episcopis, & Parochis, ut nullum Sacramentum administrent, quin ejus virtutem & effectus explanaverint, juxta Doctrinam Catechismi Tridentini.

*Num. 4. ibid.* cum Tridentino præcipit, ut novæ Parœciæ instituantur in Suburbis Locorum claustrum, ut Sacramenta noctu administrari queant.

*Num. 9. Cap. 2.* Synodus cavet, ut Patrinus aut Matrinx tantum admittatur, vel ad summum uterque, & laudat Tridentinum.

*Num. 3. Cap. 4.* prohibet, ne quis Presbyter Sæcularis, aut Regularis, Confessiones audiat, nisi habuerit approbationem à Concilio Tridentino requisitam.

*Num. 7. Cap. 9.* præcipit Episcopis, ut observent Decretum Tridentinum vetans, ne Ordines alicui conferantur, nisi addicatur Ecclesiæ, in quâ munera sibi injuncta obeat; & *Num. 11.* sancit, ut in Litteris dictis, *Exeat*, fiat mentio Ecclesiæ, cui persona addicta fuit, juxta Decretum Concilii Tridentini.

Initio *Cap. 5. Part. 3.* Synodus executionem Decreti Tridentini circa Seminaria jubet, ut, inquit, huic Decreto obtemperet, ut provideat reformationi Disciplinae Ecclesiasticæ.

Initio *Cap. 6.* Synodus injungit Episcopis, ut visitent Hospitalia, quæ Regis immediatæ protectioni non subjacent, idque faciant tamquam Delegati Sedis Apostolicæ juxta facultatem ipsis à Concilio Tridentino concessam. *Num. 3. ejusd. Cap.* cavet, ut juxta Decretum Tridentini, Episcopi exigant rationes administrationis temporalis Hospitalium. Quod si fundatio ferat, rationes alteri cuivis exhibendas esse, ut Episcopi vocentur ad eas audiendas.

*Num. 10. Cap. 7.* præcipit, ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, visitet Confraternitates Pœnitentium, juxta Decreta Tridentina. Et *Num. 6.* jubet, ut juxta eadem Decreta, Oeconomi Confraternitatum rationem administrationis suæ reddant Episcopo.

*Num. 2. Cap. 1. part. 4.* Synodus cavet, ut usus potestatis excommunicandi dirigatur juxta regulas à Tridentino præscriptas. *Num. 7.* prohibet, ne Censuræ adhibeantur, cum media alia suppetunt. *Num. 9.* præcipit Magistratibus, ut non impediunt, quominus Ecclesiasticus Judex Censuris utatur, utque eum non cogant

ad absolvendum ab iis, quas tulit, idque præcipit, quia tale est Decretum Tridentini, & quia non licet falcem mittere in messem alienam. *Num. 13.* præcipit, ut Episcopi, in eos, qui anno & die sub Censuris jacent, velut in personas suspectas hæreseos, procedant, tamquam Delegati Sedis Apostolicæ, juxta Decretum Tridentinum.

Idem Concilium, agendo de *Jurisdictione cap. 2.* multam facit mentionem Tridentini, & expressè præcipit executionem Decretorum ipsius, ut videre est, *Num. 1. 8. 10. 18. 22. Num. 1.* pronuntiat & publicat omnes poenas à Concilio Tridentino latas in eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant. *Num. 8.* irritos facit contractus & actus à Concilio Tridentino damnatos. *Num. 10.* vult, ut pro infectis habeantur omnes actus judicarii coram Judice Laico facti, in rebus, quæ juxta Concilium Tridentinum ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent. *Num. 18.* constituit, ut sententiæ correctionis executioni mandentur, non obstante appellatione, ut interlocutoria Judicia appellationi non sint obnoxia, nisi aliquod gravamen contineant in definitivo non reparabile, vel à definitivo appellari non possit; qualis est sententia 3. conformis circa eandem causam. Denique *num. 22.* vult, ut in singulis Synodis Diocesanis quatuor Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Viri in dignitate constituti eligantur, quorum nomina Romam mittantur, ut Pontifex ipsis delegare possit causas ad se devolutas.

*Cap. 3.* Synodus præcipit observationem Decretorum Concilii Tridentini circa alienationes bonorum Ecclesiæ. *Num. 16.* hortatur, & rogat Episcopos Provincia, ut saltem unoquoque anno semel publicari curent *Cap. 11. Sess. XXII.* quod ipso facto excommunicat usurpatores bonorum Ecclesiæ, sive ipsi invaserint, sive alios invasores immiserint.

*Cap. 4.* Jubet observari Decretum Tridentinum circa Decimas, & vult ut Parochi & Prædicatores illud idioma vulgari, certis diebus legant, atque exponant.

*Initio Cap. 6.* Præcipit executionem Concilii Tridentini decernentis, ut si quis duo Beneficia incompatibilia possidens, unum ex iis non dimittat intra sex menses, utrumque ipso facto amittat; & *num. 9.* decernit, ut circa Beneficia Curata observentur omnia Statuta Tridentina circa Examen, Approbationem, Collationem & Provisionem Parochorum.

*Cap. 7.* Exorditur præcipiendo executionem, Statutorum Tridentini circa Episcoporum Residentiam. *Num. 2.* vult, ut fructus, quos Parochi amittunt, violando Decretum Tridentinum circa Residentiam, adhibeantur ad decorationem, vel reparationem Ecclesiarum ipsarum, vel ad alimenta pauperum loci. Denique *num. 4.* jubet, ut Episcopi exequantur poenas à Concilio Tridentino latas in eos, qui residere negligunt tempore sibi præstito.

*Cap. 8. n. 13.* Jubet, ut Episcopus Visitationem faciens Constitutiones Tridentinas circa ipsam observet; *num. 16.* vult, ut ex vigore autoritatis ab eodem Concilio ipsi attributa, quatenus Delegatus Sedis Apostolicæ, faciat quodcumque non poterit, prout Ordinarius.

Eadem Synodus, agendo de jure Patronatus, præcipit Episcopis: 1. Ut ex vigore Decretorum Tridentinorum rescindant Uniones Beneficiorum liberorum, cum Beneficiis juri Patronatus obnoxiiis, si effectum non habuerint. 2. Ut ex ejusmodi Concilii autoritate jure Patronatus privatos declarent omnes Patronos, qui Ecclesiarum sibi subiectarum bona usurpaverint, vel impederint, quominus justis possessores iis fruantur, atque illos invasores excommunicent donec integram restitutionem fecerint.

*Cap. 11.* Incipit jubendo observari Decreta Tridentina circa Libros prohibitos; & *Num. 2.* vult, ut pariter observentur regulæ Indicis ex Tridentini præcepto facti.

*Cap. 16.* Synodus, colligendo ea, quæ pertinent ad Clericos & Regulares Exemptos, præcipit executionem quatuor Decretorum Tridentini. Nam, cum eo præci-

pit. 1. Ut Clerici & Regulares, etiam exempti, servent Censuras ab Episcopo latas. 2. Ut celebrent Festivitates ab eodem Episcopo institutas; 3. Ut Supplicationibus assistant, nisi strictam Clausuram profiteantur. 4. Ut Abbas benedictus, & Presbyter non conferat Tonсурam & quatuor Ordines Minores, nisi Regularibus sibi subditis.

## CAPUT X.

## Concilium Narbonense 1609.

**Q**uamvis numerus Decretorum, quæ Concilium Narbonense ex Tridentino non laudato fumpit, longè major sit, quàm Decretorum, circa quæ illud laudatur; hæc tamen non ita pauca sunt, quin ostendant, Narbonensi propositam fuisse, partim executionem Decretorum Tridentini; ideoque omisissis Decretis prioris generis, alia notabimus.

Duo existunt in *Cap. 4.* Primum respicit eos, qui prædicant hæreses. Synodus Narbonensis vult, ut Episcopus contra eos juxta Decreta Tridentinæ procedat. Aliud respicit institutionem Cathedralium Theologiarum, & vult, ut eæ, juxta dispositionem Tridentini conferventur in Ecclesiis Cathedralibus ubi jam instituta sunt, & instituantur ubi non erant, utque Theologus singulis Dominicis concionetur, duasque Lectiones Casuum Conscientiæ hebdomadatim faciat.

*Cap. 14.* Loquendo de Baptismo, præcipit executionem Concilii Tridentini, circa numerum Patrinorum illiusque expressam mentionem facit.

*Cap. 19.* Agendo de Sacrificio Missæ, statuit, ut Episcopi uniant fundationes modicas, earumque onera diminuant, prout expedire duxerint; & laudat Concilium Tridentinum *Sess. XXV.* non indicato capite. Hoc fortè est 4. loquens de reductione Missarum. Agendo de Sacramento Ordinis *Cap. 21.* jubet, ut omnia Decreta Tridentini circa illius administrationem observentur.

*Cap. 22.* Dicit, cum primum Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonium valdè idoneum sit ad tollendos abusus, qui vigeant, se proposuisse, ut illud in totâ Provinciâ observaretur, ideoque jussisse, ut huic Capiti è verbo ad verbum infereretur. Tùm relato Decreto circa Matrimonium vagantium, nec laudato Concilio adjicit, se recipere impedimenta Cognationis, Affinitatis spiritualis, Affinitatis per copulam illicitam, Honestatis publicæ, prout à Concilio Tridentino decernuntur, seque eisdem Gradus iis assignare ac Concilium.

*§. 2. Cap. 27.* Jubet omnia Decreta Tridentini circa Visitationem Episcopalem observari. *Cap. 30.* jubet, ut juxta dispositionem Tridentini, Episcopus visitet Capitula Ecclesiarum sive Secularium, sive Regularium, non obstante quavis exemptione; & *§. in Ecclesiis* præcipit observari Decretum Tridentini circa Theologos Collegialium.

*§. omnes Cap. 32.* Statuit, ut Parochi non residentes poenas à Concilio Tridentino latas luant.

*Cap. 33.* Synodus loquens de Regularibus sancit executionem plurium Decretorum Tridentini, & nominatim laudat illud, quod fert, ut Episcopus coercere possit Regulares extra claustrum delinquentes, & illud, quod vult, Episcopos diligenter invigilare clausuræ Monialium.

*§. per Judices, Cap. 42.* Præcipit observari *cap. 1. Sess. XIII.* in Appellationibus Causarum Criminalium, vultque, ut locum habeat, nisi appelletur ab incompetentiâ, Judicis vel ratione hujus incompetentiæ.

*§. 2. Cap. 44.* Cum Tridentino præcipit, ut solus Episcopus decernere possit Excommunicationem post Monitorii publicationem.

Denique, Archiepiscopus, qui hanc Synodum celebravit, (*Ludovicus DE VEVINS*) ob suas infirmitates & occupationes excusat se, quòd nondum executus fuisset Decretum Concilii Tridentini, jubens, ut Concilia Provincialia tertio quoque anno celebrentur.